



SPECIMEN PRO IMP- petranda Laurea.

S I mihi, quæ fuerat mage libera, Musa faveret,
Hunc delectaret blanda Elegia chorum:
Jam quia cura alia ex alia quasi parturit, ultrò
Largior, & geminâ largior hocce manu
Serpere humi nostros versus, nec tollere vultus
Audere, & cultis ire nequire modis.
Sit tamen agna placet, quã Dîs pauperculus offert,
Et cæso interdum non minus illa bove:
Quid tentare vetat tenues hoc tempore vires?
Forfitan exili carmine gratus ero.
Ergò agite & promptis linguisq; animisq; favete
Vos, quos in gremio Pieris alma fovet.
Tædia cessabunt, spero, si pauca reponam:
Qui non Arte potest, is brevitate placet.
Non ego grandifono cantabo splendida metro
Heroum forti prælia gesta manu.
Sed nec delicias pingam, nec furta Deorum:
Oderunt casti turpe melisma viri,
Mira canam, sed vera canam, sed lemmate digna:
Hoc mihi carmẽ erit: QUAM NIHIL OMNIS HOMO!
Ardua mî calcanda via est, dum talia tento:
Vix hæc materies viribus apta meis;
Vestraq; spes nostris non confirmabitur ausis:
Ibo tamen quò me Musa & Apollo sinit.